

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica II. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA II. ADVENTUS.

Evangelium Luc. 21. v. 25. 36.

EXORDIUM.

IN tunicâ summi Pontificis hyacinthinâ, deorsum ad pedes per circuitum pependere olim tintinnabula aurea, quæ clarum sonitum ediderunt, quando ille ingressus & egressus est Sanctuarium in conspectu Domini, Exod. 28. v. 33.

Hiscæ tintinnabulis significatum fuit, Verbi præcones non canes mutos esse, Esa. 56. v. 10. sed vocem suam quasi tubam exaltare debere, Esa. 58. v. 1. probe pependentes, quod in conspectu Domini ingrediuntur, & egrediuntur, h. e. ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei sint, 1. Cor. 4. v. 1. qui aliquando ad rationem eos vocaturus sit, & deperditum sanguinem de manu ipsorum requiriturus. Ezech. 3. v. 18.

Potissimum vero doctrinam de die novissimo & fine mundi sedulo inculcent. Ideo enim hæc tintinnabula in extremo vestimenti posita credo, ut de extremis temporibus, & fine mundi nunquam fileas ait Origenes. Quod quidem emolumento suo non destituitur. Auditores enim hoc ipso absterrentur a peccatis, ne securi in diem vivant, sed in sanctis conversationibus & pietatibus expectent adventum Domini, 2. Petri 3. v. 11.

De pio Abbate Hilatione recensetur, quod in solitudine degens, ex improvise

à latronibus nonnullis cinctus fuerit, qui ipsum interrogarunt: Quid tu hic faceres, si te latrones adorirentur? quibus imperterritus respondit: Nudus latrones non timet. Quî vero, pergebant illi, si tibi vitam eriperent? Et regerebat ille: Ne id quidem timet, qui paratus est mori.

Utinam quilibet nostrum eodem modo affectus esset, scimus etenim, diem novissimum irrupturum tanquam furem in nocte, & velut laqueum super omnes, qui habitant in terrâ: ideo optimum sane erit, ut ita nos præparemus, quo omnia, quæ in mundo sunt, pro detrimento & stercore reputemus, Phil. 3. v. 8. identidem orantes cum Ecclesiâ: Excita Domine cõrda nostra ad præparandas unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus serviamus. Sicut enim lignum tunc ceciderit, ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, Eccles. 11. v. 3.

Ansam suppeditat nobis prælecta Pericope, in quâ Servator ipse ad dignam præparationem nos excitat, inquit: Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, item: Cavete, ne forte corda vestra graventur in crapulâ & ebrietate. Et vicissim: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere omnia

nia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Nos proinde sine ulteriori ambage ad illam accedemus, visuri:

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem cautelam.

II.

Exegetis.

Aaron summus Pontifex, stans inter mortuos & viventes, obtulit Deo thymiamam, & reconciliavit Deo populum, & plaga cessavit. Num. 16. v. 48. Christus verus N. T. summus Sacerdos est, ideoque inter Deum & nos homunciones morti obnoxios in medio stetit, & nos expiavit, per purpureum suum eumque sanctissimum sanguinem. Die vero novissimo iterum officium suum mediatorium declarabit, & inter viventes & mortuos, oves & hædos, bonos & malos in medio stabit. At magno cum discrimine. Ibi enim venit, ut Salvator hinc vero veniet, ut iratus iudex, redditurus unicuique secundum opera sua, Apoc. 22. 12.

Id semper meminerimus: Et quia Servator optimus ex fraternâ caritate, in prælecto Evangelio emphaticam concionem habuit, quâ nos præmonet, nunquam concedamus, ut ea animis nostris effluat, semper memori mente tenentes eam: qui enim recordabitur novissima, nunquam peccabit, Sir. 7. v. ult.

Querelam vero movet

1. *Mundi ad interitum declinatio*, quæ ex signis colligenda, quæ Servator mundi finem antecessura esse, prædicat.

Semper inventi sunt, qui mundum æternum fore, nec unquam interiturum esse

asseruerunt, sicuti Philo integrum volumen scripsit, *Ἐξ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου*, in quo expressâ hæc verba leguntur: Dicere mundum divinitus occidere, flagitiosissimum est. Eadem in opinione fuerunt Aristoteles & Averroës, quibus ad stipulatur Galenus, dicens: Sæper ita stetit, sic igitur perdurabit.

Atqui Ethnicis, qui verbo Dei destituti sunt, ignoscendum videtur, ita opinatos esse: Sed dolendum inter ipsos Christianos inveniri, qui impiâ & profanâ suâ vitâ mundi finem & iudicium extremum negare non verentur, hinc vox eorum: Venite sumamus vinum, Esa. 56. v. 12.

Quando vero prælectum Evangelium inspiciamus, audimus sanè veritatem ipsam dicentem: Cælum & terra transibunt. Quin & signa certa indicat, ex quibus certò colligamus, finem mundi quâ proxime instare.

Licet igitur nemo hominum, annum, diem & horam sciat, quam Pater posuit in potestate suâ, Act. 1. v. 7. attamen omnes circumstantiæ ostendunt, mundi finem non procul abesse. Petrus jam tum suo tempore scripsit: Omnium finis appropinquavit, 1. Petr. 4. v. 7. cum quo consentit Paulus, 1. Cor. 10. v. 11. Johannes ultimam horam adesse adstruit, 1. Joh. 2. v. 18. Sint igitur lumbrici nostri præcincti, & lucernæ ardentes, simusque similes hominibus, expectantibus Dominum suum, Luc. 12. v. 43. ornemus cum prudentibus virginibus lampades nostras, quo cum sponso nostro cælesti, intremus ad nuptias, Matt. 25. v. 10.

2. *Ipsa signorum consideratio*, quæ finem mundi præcedere debent, horum alia fiunt 1. *In polo*, in Sole, Lunâ, & Stellis. Innuuntur hinc potissimum Eclipses, quæ se proxime ante diem novissimum in fre-

quentia & inusitatâ magnitudine præsentabunt. Licet enim naturaliter fiant, unde & à Mathematicis ex certis Principiis prædici possunt: attamen & signa & prænunciæ diei extremi esse possunt, sicuti iris naturales suas causas habet, & tamen simul signum est, quod Deus mundum diluvio non amplius perdere velit, Gen. 9. v. 16.

Simul quoq; Christus hoc ipso respexit multiplicia chasmata, quæ in ære apparere solent. Item, quod quandoque duo vel tres Soles conspiciuntur, viri armati, feretra, Cometæ & alia horribilia, quæ mortalibus terrorem incutiunt.

Sol & Luna ideo creati sunt à Deo, ut diei & nocti præsentent, & terram illuminent, Gen. 1. v. 16. quâdo igitur Dominus hæc dicit, quod splendorem suum amissuri sint, indicio sunt, quod Dominus mox adventurus, mundique vesperam adducturus sit. Sol & Luna sunt quasi duo oculi mundi. Veluti igitur homo, cujus oculi obtenebrantur, fat causâ habet, ut ad mortem separet: ita quando Solem & Lunam obscuratum viderimus, ad mundi vesperam ingruentem nos præparemus, ne in impenitentia à die novissimo obruamur. Qualem enim te invenio, talem te judico. Et quia videmus, signa hæc prædicta magna ex parte impleta esse, & adhuc impleri: Omnis enim creatura ingemiscit, & patturit usq; adhuc, Rom. 8. v. 22. singulis momentis diem iudicii expectemus.

2. *In solo.* In terris etenim erit anxietas gentium, per dubitationem, arescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi. Circumspiciamus in mundo, quomodo res habeat se in Ecclesiâ, annon illud tempus advenit, ubi defumo putei exierunt locustæ in terram, quæ sub Rege suo Abaddon homi-

nibus multa mala inferunt; Apoc. 9. v. 3. 11. ut non immerito cum Davide conquæramur: Defecit Sanctus, Psal. 12. v. 2.

In Politia tempus adest, quo de Christus prædixit, quod iniquitas abundet, Matth. 24. v. 12. Vere Micha: Princeps postulat, & iudex propter redditionem, Mich. 7. v. 3.

In Oeconomia quoq; prædictio Christi locum invenit, Matth. 24. v. 10. & Michæ, filius pro stulto habet patrem, Mich. 7. v. 6. nec non Jeremiæ querela, c. 9. v. 5.

Ne dicam de miseris & calamitatibus tam publicis, quam privatis quibus singuli subiecti sumus. Nonne fames, pestis, bellum multa hominum millia absumerunt, quæ multis querelas expresserunt: Væ nobis, quoniam vastati sumus, Jer. 4. v. 13.

3. *In solo.* Non enim intra limites manebit constitutos, sed sepimenta perumpet, & terras inundabit, sicut populi illi, qui proxime mari cohabitant cum damno sæpe experti sunt, & etiamnum experiuntur. Hæc maxima est calamitas. Ignis extingui siquidem potest, sed aqua libere perumpit & aufert omnia, quæ invenit, nec quisquam resistere valet quàm Deus solus, qui posuit arenam terminum mari, Jer. 5. v. 22. quando vero visum fuerit ei, emittit aquas, subvertens terram, Job. 12. v. 15.

Nos inspiciamus hæc signa

1. *Tanquam gratia indicia.* Dum enim Servator noster signa extremi diei nobis prædicit, tanquam fidelissimus amicus præmonet nos, ut parati cum penitentia quotidiana Dominum expectemus, ne ex improvise adventu ejus impetamur, Luc. 14. v. 32.

2. *Tanquam securitatis remedia.* Cum pius Lot generis suis intimaret, quod Dominus deleturus esset civitatem eorum, visus est

eis,

eis quasi ludens loqui, Gen. 19. v. 14. Ita adhuc hodie inter Christianos inveniuntur, qui quæcunque de die ultimo prædicantur, derident. Verùm cum extra omnem metum vixerint, dicentes, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti & non effugient, 1. Thess. 5. v. 3. Neque enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

3. *Tanquam piorum refrigeria.* Quò magis aquæ diluvianæ redunabant, eò altius elevabant arcam, donec tandem quindecim cubitis altior facebatur super montes, quos operuerat, Gen. 7. v. 17. Sic pii, quando passiones multas in hoc mundo sustinere coguntur, certissimè persvadeant sibi, se hoc ipso à terrenis ad cœlestia elevari, ubi *πολιτευμα* suum est, Phil. 3. v. 20. Ah dilecti, redemptio vestra in limine adest, idèò cum patientia Dominum vestrum expectate, qui omnes miseras vestras finiet, ut nullum vos tacturum sit tormentum, Sap. 3. v. 1.

III. *Extremi diei appellatio.* Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Hoc simile ab avibus desumptum est, quæ inopinatò, quando latantes in arca aucupatoriâ cantillant, & circumfiliunt, reti obruuntur, & strangulantur: Ad eundem modum dies quoque extremus subito ingruet, eosque qui in tempore se ad illam minus præpararunt, in impænitentia obruet, ut nemo effugere possit, sed Diaboli captivi in æternum manere cogantur. Qui enim descenderit ad inferos, non ascendet, Job. 7. v. 9.

Aves captæ prius occiduntur, deinde deplumantur, & tandem in veru assantur: Sic & Diabolus illos, quos laqueus hic in

impænitentiâprehendit, unguis suis unceis corripiet, & morti secundæ sive æternæ tradet: ubi sic morientur, ut semper vivant, & sic vivent, ut semper moriantur: h. e. quærent mortem & non invenient eam, Apoc. 9. v. 6. Quin & urentur, assabuntur & sentient usque in sempiternum, Judith. 16. v. 21. in ejusmodi lacu, ubi ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam. Esa. 30. v. 33.

Sicut autem inter volucres nonnullæ sublimiores volant, quæ illectamenta aucupum negligunt, & ad terras calidiores properant: nonnullæ vero volatu deorsum feruntur, in terram, ut ante cibo se oblectent, quo inescantur: illæ indemnes avolant, hæc verò laqueis irretiuntur:

Ita nos ad exemplum priorum mundum despiciamus, & sursum corda elevemus: quærentes ea quæ sursum sunt, ubi Christus est, Col. 3. v. 1. sic periculum faciliè evademus, & ex cordis nostri desiderio pervenimus in æstivam illam regionem, ubi abundantia gaudiorum, Plal. 16. v. ult.

Reliqui verò, qui mundum hunc diligunt veluti Demas, 2. Tim. 4. v. 1. & in peccatis & securitate impiè pergunt, tandem Diabolo mancipabuntur, qui ligatis manibus & pedibus eos conjiciet in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Ideò incumbit Christianis, ut cautè ambulent, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Eph. 5. v. 15.

Quando clamor vel strepitus excitatur, aves perterritæ aufugiunt: O quoties verbi Præcones clamorem edunt, & præmonent te, quando vocem suam exaltant,

quasi tubam, & annunciant populo transgressionem eorum, & peccata, Esa. 58. v. 1. Ideo admonitioni locum relinque, & in sublime te eleva, quò dignes habearis fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ, quæ fit per pœnitentiam, in his damnatio five mors secunda non dominatur, Apoc. 20. v. 6.

De Secundo.

Sequitur nunc triplex Medela, quæ fluit
I. Ex *Judicis Majestate*. Veniet enim in nube, cum potestate magnâ & majestate. In hoc mundo sæpè accidit, ut iudex sententiam ferat, quam tamen potestate destitutus, exequi nequit. Id Christo non defiet, habet enim loquelam efficacissimam, & quando impiis die novissimo dicit: Discedite! uno impetu in tartara præcipitabuntur, Matth. 25. v. 41.

Quod si enim in diebus carnis suæ mari & ventis imperare potuit, Matth. 8. v. 26. Diabolos expulit, Luc. 11. v. 14. & hostes suos in horto Oliveti prostravit, quando dixit: Ego sum, Joh. 18. v. 6. Quidni die novissimo iudicium suum in impiis exequatur, imprimis quia exploratum nobis est, quod tunc non venturus sit in servi formâ, sed in summa Magnificentia & gloria; non a sino commodato vectus, sed in nubibus cæli, istæ enim quasi tribunal ejus erunt. Et quemadmodum de nubibus omnia contemplari possunt, quæcunque in tertis fiunt, ita Christo nihil omninò absconditum erit, sed omnia videbit & sciet, eaque in iudicium exponet, usque ad inju-

riam quam perpeffi, & verbum otiosum, quod locuti sumus, Matth. 12. v. 36.

Hinc magna consolatio in pios redundat. Sciunt enim, iudicem non alium fore, quàm fratrem & Immanuëlem suum, qui se se non sit deserturus, ut nec Joseph fratres suos, sed potius in æternum curaturus. Hinc Gregorius: *Nobis magna spes pœnitentibus, quia Advocatus noster factus est iudex noster*. Hoc solatium in rebus adversis respice, nec à veritate semel agnitâ averti te concede. sed cum timentibus Dominum confirma hoc modo: Attendit Dominus & audit &c. Malach. 3. v. 16. seqq.

II. Ex *liberationis propinquitate*, hanc nobis Christus in eleganti similitudine exhibet, inquires: Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producant jam ex se gemmas, scitis, quoniam propè est æstas. Ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est Regnum Dei.

Tempore hyemis veris amœnitatem nemo non desiderat. Tum enim aër renovatur: tum in agris & pratis oblectare nos possumus, sicut spiritualis sponsa sponsum cœlestem in id invitat, Cant. 7. v. 11. Ita & nos diem novissimum anhelemus, ubi tristis miseriarum hyemæ finietur, & jucundissimum vitæ æternæ ver adventabit, juxta illud Esa. 35. v. 10.

In vere omnia reviviscunt, quæ in hyeme quasi mortua fuerunt: explentur arbores Dei, & cedri Libani, quas plantavit, Psal. 104. v. 16. sic & ossa nostra arefacta quasi herba germinabunt, Esa. 66. v. 24. 1. Cor. 15. v. 43. seqq.

Quando in vere arbores folia & gemmas protrudunt, quilibet inde colligere potest

potest ætatem instare: Ita & nos ex signis, quæ diem extremum præcessura, Christus pronunciat, certò eundem imminere, statuamus, ubi Dominus pluet super peccatores laqueos, ignem & sulphur, & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. Credentes verò & justos introducet in æternum gaudium & salutem. Justum siquidem est apud Deum, reddere iis, qui affligunt nos, afflictionem, nobis verò &c. 2. Theff. 1. v. 6.

III. Ex Collationis dignitate. Neque enim à Christo à sinistris ejus, sed dextris statuemur, non inter fœtidos hædos, sed inter obsequentes oviculas. Hæc jucundissima permutatio erit.

Hoc in mundo pii plerumque ultimum locum occupare coguntur, Jac. 2. v. 3. suntque lampas contenta apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 15. Sed ibi dicitur: Amice adscende, Luc. 14. v. 10. Deus enim elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes Regni, Jac. 2. v. 5. Ibi innocens Abel stabit, cum omnibus, qui innocenter necati sunt: Abraham cum omnibus, qui ex fide ejus fuerunt: Josephus cum illis qui promiscuas libidines odio habuerunt: Jobus cum omnibus, qui in cruce patientiam exercuerunt: David cum omnibus, qui piis orationibus studiosè in vigilaverunt. B. Mariæ adfuerunt multa millia virginum, quæ castè & pudicè vitam gesserunt, Hannæ, multa millia piarum viduarum: Mariæ Magdalenæ multa millia peccatricum, quæ resipuerunt. Petro omnes Apostoli & verbi præcones, qui confessioni ejus institerunt, Stephano magna multitudo B. Martyrum, qui vexillum sanguineum præferent, clamantes:

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, Apoc. 7. v. 14.

Sicut igitur in hoc mundo honorationibus dextera assignatur, ut patet exemplo Salomonis, 1. Reg. 2. v. 19. Ita & Christus fideles die ultimo ita honorabit, ut eosdem à dextris collocaturus sit, tanquam filios suos, quos de mundo elegit, Joh. 15. v. 19. & per mortem & sanguinem in populum peculiarem acquisivit sibi. Tit. 2. v. 14.

Hæc consolatio sustentet nos, dilecti! Hic filii Benoni sive dolorum sumus, quorum tribulationes multæ sunt, Pl. 34. v. 20. Ibi verò filii Benjamin sive dexteræ erimus, ubi inveniemus cum Domino vitam & abundantiam, Ioh. 10. v. 10.

De Tertio.

Restat *Castela*, quæ tribus regulis includitur, quarum

1. *Crapulam vita*. Hinc Servator: Cavete, ne corda vestra graventur crapula & ebrietate. Hoc vitium contra naturam est, siquidem Seneca ait: *Venter parvo dimittitur, si modo des ipsi, quod opus est, non quod potes.* Verùm peccatum, quod Diabolus naturæ humanæ in sevit, aded gulosos nos reddidit, ut paucis contenti non simus. De Smindiride Athenæus scribit, quod, sex annis plus minus viginti Solem nec orientem nec occidentem vidisse, gloriatus fuerit.

De Imperatore Vitellio memorat Suetonius, quod in una cœnâ duo millia piscium, & septem millia avium sibi apponi curaverit: ut plura exempla taceam.

Sic adhuc hodie inveniuntur, qui cum Epulone divite quotidie splendide epulantur, Luc. 16. v. 19. Horum Symbolū est: Venite

Venite sumamus vinum, & impleamur ficerâ, & erit sicut hodiè, sic & cras, & multò amplius, Esa. 56. v. 12. Verùm horribilis pœna aliquando sequetur: Propterea etenim dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, ut ebriosi ejusmodi & fortes ad bibendum descendant, Esa. 5. v. 14. Apoc. 21. v. 8.

II. *Semper vigila.* Propterea ait Servator: Vigilate itaque omni tempore: & his verbis à securitate nos advocaturus est, quæ somno confertur. Quemadmodum enim somnus ejusmodi quies est, ubi sensus hominis per adscendentes è stomacho vapores quasi ligantur, ut oculi non videant, aures non audiant, nec gustus, odor & tactus munus suum obire possint: ita & impii per pravos concupiscentiæ vapores, cooperante Satanâ, quasi spiritualiter vincuntur & superantur, ut oculi vias Domini non videant, Psal. 119. v. 37. Aures legem Domini non audiant, Psal. 119. v. 8. Cor non sentiat Dominum in cœlo, Sap. 13. v. 4. nec gustet, quàm suavis sit Dominus, Psal. 34. v. 9. pedes non ambulent in viâ pacis, Luc. 1. v. 80. manus conferantur, Prov. 6. v. 10. nec quod bonum est, operari velint, Eph. 4. v. 28. Hic somnus meritò damnandus est, ubi quidem Spiritus quiescit, caro verò in operibus iniquitatis, contrà Deum & proximum nimium operosa est, idè de impiis dicitur: Non dormiunt, nisi cum malè fecerint, Prov. 4. v. 16. Confer Mich. 2. v. 1.

Veri Christiani fugiant hunc somnum. Cum Simson in gremio Delilæ somno opprimeretur, devenit in potestatem Philistiim, qui eruerunt oculos ejus, vincunturque catenis, & clausum in carcere molere

fecerunt, Jud. 16. v. 21. Idem omnibus illis evenit, qui in gremio Delilæ, id est, mundi impii, qui totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. obdormiscunt; certè Dominus miscebit illis Spiritum soporis, Esa. 29. v. 10. ut in abyſso infernali demùm expergiscantur, & pœnitentiâ impœnitentiæ suæ nimis serò ducantur, Sapient. 5. v. 7. seqq.

Cum Thebanorum Dux Epaminondas militem, excubias agentem, somno oppressum offenderet, ferro ipsum continuò trajecit, inquiens: Qualem te invenio, talem te relinquo.

Idem eveniet die novissimo illis, quos Dominus in somno peccatorum & securitatis offenderet, ut in peccatis tuis morti secundæ tradantur, quæ illos cruciabit & depascet in æternum, Psal. 49. v. 15.

Dum igitur adhuc Hodie dicitur, à morte peccatorum surgamus, ne æternus somnus, vel mors potius nos opprimat.

Quando dormienti acclamamus, vel coagitamus, somno ille solvitur: Verùm peccatorum somno multi adeò profundè immerſi sunt, ut nullo clamore, coagitatione nullâ excitari possint; verùm continuò in ebrietate, avaritiâ, sœnore aliisque peccatis impiè stertant, dicentes cum servo illo nequam: Moram facit Dominus meus venire, Matth. 24. v. 28. super hos jam dudum sententia lata à Domino, qui non se miserturum professus est omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 59. v. 6.

Si igitur sapis, mi Christiane! observa horam, quæ jam adest, ut de somno peccatorum surgas, Rom. 13. v. 11.

Quamprimum Persarum Rex primo mane vocem in hoc ipsum destinari ministri

nistri audivit : Surge Rex, & age curam negotiorum tuorum ! extemplò ille surrexit. Idem tibi observandum, mi Christiane. Si tibi à verbi Præcone, qui curam salutis tuæ agit acclamatur, surge ! evigila ! ut statim exurgas à mortuis, qui dormis, Eph. 5. v. 14. & salutem tuam cum timore & tremore opereris, Phil. 2. v. 12. Nam ab hoc momento pendet æternitas, quod virgines fatuæ suo damno expertæ sunt, Matt. 25. v. 12.

III. *Ardeniter ora.* Sic enim Servator : Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Hoc pernecessarium est. Vivimus enim in mundo, qui juxta Lutherum nihil aliud est, quàm stabulum pessimorum hominum, & licet summa curâ provideamus nobis, facile tamen fieri potest, ut à Diabolo per concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis & superbiam vitæ inescemur, & ita naufragium salutis faciamus, 1. Tim. 1. v. 19.

Ideò subindè cum Ecclesiâ precemur :

Tentationem ne feras,
Cum nos malignus Satanas,
Captat sinistrè, dexterè,
Da fortiter resistere,
Firmâ cataphractos fide,
Sanctique Spiritus ope.

Item :

Me mundus enī mendaciis,
Vafriisque fraudulentis


Laceffit atque minis :

Tuere me

Discrimine

A machinis malignis.

Id non frustraneum erit ; multum enim valet deprecatio justī assidua, Jac. 5. v. 16. Ideò ne dubitemus, quin, quæ oraverimus, impetraturi simus, ut vitâ justè, temperanter & piè actâ digni habeamur, stare ante Filium hominis, audientes vocem amabilem : Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab exordio mundi. Et ita ibimus in vitam æternam, Matth. 25. v. 34. 46. Quam JESUS nobis omnibus largiatur, Amen.



DOMINICA III. ADVENTUS.

Evangelium Matth. 11. v. 2, 11.

EXORDIUM.

Cum Mosi à numine divino mors intimeretur, de nullâ re ille magis sollicitus erat quàm de Israëlitarum salute, ut in vera & salvifica cognitione illi conservarentur, hinc non modò benedictione eos affecit : sed variis quoque utilibus doctrinis instruxit, quas post obitum suum

observare deberent, Deut. 31. v. 14. seqq. Hoc præclarum exemplum est. Moses geminum munus gessit, fuitque non modò Propheta, sed & Princeps populi Israëliti, ideò meritò ejus curam habuit, quippe qui quâ animam & corpus ipsi concreditus fuit.

c

Sic